serpens suggerendo eua consentiendo. Ad quod R. Cum iniuste ha-
bemus a diabolo hereditatem peccandi. cuius originis et naturae nullam ha-
bemus communionem. ideoque suggestione uel imitatione ipsi possemus esse
similes. sed et propagatione non sumus conformes. Ab eua uero matre
nostra ideo peccati suggestionem non habemus quia seminis nostri
originem non a matre sed a patre accepimus. et ideo de cuius traducimur
massa principaliter. de eo etiam originaliter traducatur et culpa. et quia
etiam adam plus peccauit quia eua seducta est. adam uero non seductus
nec deceptus sed sciens peccauit. Alia. Queritur quo pon-
dere peccatum ade tantum fuit ut non solum ipsum sed et totum humanum ge-
nus perdere poterit. Ideo quia non peccauit necessitate nec ignoran-
tia uel fragilitate. Necessitate non quia neque uiolentia diaboli nec
indigentia cibi coactus est. ut pomum comederet. Nec ignorantia quia
cum sapientissimus creatus esset de eadem re premonitus est a ~~diabolo~~ domino
H Nec fragilitate quia cum presentem deum adiutorem haberet. si de hoc tunc
rogare eum uel in eo confidere uoluisset. eadem nullo modo potu-
isset. Alia. Queritur cum dominus redimendo nos
omnia peccata abstulit. cur penam peccati non abstulit. ita etiam
ut in hac uita impassibiles essemus. et immortales. Quod etiam cum
summa ratione fecit. Si enim post suam redemptionem nos immortales fe-
cisset. omnes ad fidem conualescerent non propter amorem dei et aeterne
beatitudinis. sed propter id solum ut possent consequi inmortalitatem
huius uite carnalis et sic periret fructus fidei quia non esset pro-
pter amorem dei. Passibilitatem uero reliquit ne uideretur delecta-
bile hinc inherere. sed potius festinare ad illam quietem que cum do-
mino est indeficiens. Quod enim esset si passibili-
tatem penitus abstulisset. cum suis tot
et tantas tribulationibus ita diligatur. ut uix aliquis es-
set qui sit aeterne beatitudinis memor fuisset.

PRIMA die qua adam conditus est uetus extitit non recens.
sed congrua similitudine quia sicut res que uetus est deficit.
et ad occasum tendit. sic adam qua hora peccauit ad occasum mortis
quasi senex descendit. et similiter post eum quilibet peccator. Sed
christus nouus homo fuit. uel spirituali ratione et licet homo factus rex
tamen erat et angelorum et hominum. et preterea alia generali ratione
quia sicut noua crescit et roboratur. sic christus creuit de uirtute

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. AA 90.3, 6v – Augustinus, (Pseudo-), De essentia divinitatis; Petrus Damianus, De novissimis et Antichristo; Opuscula varia (https://fragmentarium.ms/view/page/F-5kbv/5162/49455)